



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres**

**Commire, Jean**

**Lutetiæ Parisiorum, 1678**

Regi De Batavis Triumphanti Epinivm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14818**



# REGI

## DE BATAVIS TRIUMPHANTI

### EPINICIVM.

**V**ICISTI Lodoice, ipsoque in limine belli  
 Exuperas hostisque metus & vota tuorum.  
 Præfidiis jam nulla fides super : & male tutus  
 Intra castra pavor, vel deditioe mereri  
 Festinat veniam ; positis vel turpiter armis  
 Indecorique fuga, justum vitare laborat  
 Supplicium. Pauci obsistunt, quos mortis honestæ  
 Ambitio tangit, sperataque sanguine fuso  
 Nobilitas. Seri credent ea facta nepotes ?  
 Nec tamquam vanos strepitus & splendida famæ  
 Ludibria accipient ; quæ nunc Europa tuetur,  
 Moxque omnis recinet linguis mirantibus orbis ?  
 Audiet Arctôo si quæ deserta sub axe  
 Zembla riget ; si quæ Austrino sub cardine coeli

I ij



Gens alios cursus annorum atque altera novit  
 Sidera; quæque bibit deprensum in origine Nilum,  
 Extremique hominum Japones, & inhospita tellus  
 Sinarum, & Canadæ regio vastissima sylvis.  
 Audiet Americæ, vectos maria omnia circum,  
 Immensique ausos pelagi se dicere reges,  
 Nostrorum gladiis citius periisse Batavos;  
 Quam se posse peti per tam longinqua viarum  
 Crediderant. Mora nulla: ruit rex fulminis instar:  
 Et famam antevolans simul affuit, & simul omnis  
 Spes liquit trepidos. Solitum victoria cursum  
 Nec tenuit: sed quos terræque marisque potentes,  
 Confisosque opibus regum & socialibus armis  
 Viderat exoriens; idem, mirabile dictu,  
 Exutos opibus, terraque marique subactos  
 Junius excedens vidit: tantæque negavit  
 Alterius mensis spatium fortuna ruinæ.

O miseri, quæ tanta animos ignavia fregit,  
 Ut prope victores imbelli ex hoste triumphum  
 Jam pudeat retulisse? Decusne hoc demere Francis  
 Mens fuerat; cum structæ opere ac molimine tanto,  
 Totque minis murorum & latis undique fossis  
 Incinctæ, primis patuere assultibus urbes?  
 At stricto mallent juvenes irrupere ferro  
 Tela inter, flammæque, & plumbi missilis imbrem,  
 Orsœam pugnæ auspiciam, turretsque Burici  
 Disjectas, fractis & propugnacula rostris  
 Vesaliæ, totiesque imbutam sanguine Ibero  
 Rhinsbergam, & Grollæ non expugnabile vallum,  
 Atque arcem bifido quæ desuper imminet anni  
 Imperitans: & quas non tam mihi dicere promptum est;  
 Quam superare manu fuit & subvertere bello.



Scilicet hoc illis robur præsentia regis  
Magnanimi, hos stimulos cuncta in discrimina subdit.  
Et labor est cursus inhibere & vota ruentum.  
Aggressi nando Vahalis transire fluenta,  
Atque Isalæ Rhenique vado insultare sub armis.  
Nec generosa rates virtus pontesque moratur.  
Nempe suus cuique est sonipes simul & ratis & pons:  
Dum procul aduerso sub litore conspicit hostes,  
Festinatque prior fugientum cædere terga.  
Ah! ne desperans animi, atque occumbere certus  
In pubem egregiam peccet furor; & male quærat  
Pugnæ ignominiam, crimenque abolere cruore  
Borbonio! non est captiva Hollandia tanti;  
Ut tot sponte suâ caput objectare periclis  
Heroes certent, ac cæde aspergere lauros.  
Sed quid ego victos hominumque artisque labores  
Indomito miror sub principe cedere Francis?  
Ipsa etiam leges ultro natura recepit:  
Et signis, Lodoice, tuis addicta fideli  
Conspirare operâ, & socias conjungere vires  
In Belgam tecum potuit voluisse videri.  
Fortunate nimis! siccas tibi misit ab Arcto  
Cælum hyemes, nimbosque avertit veris aquosi,  
Ut tutum præberet iter victricibus armis.  
Sorbuit ipsa lacus & vastas terra paludes,  
Seque sibi asseruit; quo te patremque mereri  
Ac dominum posset. Putei amifere liquores,  
Et mediis miseros in aquis sitis arida torfit.  
Quique olim imperii fuerat tutela Batavi;  
Nunc fluctu Nereus tumido exitiale minatur  
Naufragium, tibi si renuant parere rebelles.  
Non facient: portisque Amstelia tota reclusis



Occurret victori : illam vicina sequentur  
 Oppida, prostratæque solo cum turribus arces  
 Orantes veniam. Tu vincula demere captis  
 Gaudebis, Lodoice; jugoque exolvere colla  
 Jam placidus, positoque ultoris nomine princeps.

## SOMNUS DELPHINI.

**D**UM compressa silent patriis sub legibus arma,  
 Sopitûsque alta Mavors in pace quiescit;  
 Dum populi turbis procul, infanoque tumultu  
 Otia felices, miti sub principe, carpunt:  
 Te quoque concessæ decet indulgere quieti,  
 Delphine: invitat Somnus, succoque madentes  
 Concurrit ambrosio pennas, cunabula circum,  
 Impatensque tuis ardet succedere ocellis.  
 Sed Jocus, & volucer tenerorum rector Amorum  
 Stant contra, gratæque excedere sede recusant.  
 Ille papavereo cunctantes verberare pulsat,  
 Et pactas servare vices & fœdera cogit  
 Invitos: quis enim locus ambitione Deorum  
 Dignior, aut quem armis potius defendere certent?  
 Tu tanti causa & pretium, puer auree, belli:  
 Tu pacem compone, & molles mollior ipse  
 Junge Deos. Aget excubias cum fratre Cupido,  
 Atque tuas ambo versabunt ordine cunas:  
 Dum tepido infusus gremio te somnus habebit.  
 Non ille obscœnis mentem turbantia visis  
 Somnia, pallentesque cava sub imagine larvas;  
 Sed risus faciles, & læto gaudia vultu  
 Objiciet: referet lusus nutricis amatae,  
 Et fractos blæso ore sonos & carmina nota,